

tem prolata, quanta possunt virtute instructa proponant, frivolae vero & infirmas iisdem adjungant responsiones: Id quod etiam de *Julio Cæs. V. anino* relatum legimus: Vid. sæpius laudatus *Dn. D. Fecbt. in Comp. Theol. C. 3. §. 22. & Coll. privat. Loc. de Deo, §. 1.* Ita quoq; *Spencerus* hic fecisse creditur, dum adducto *Herodoti* testimonio sic respondet: *Hunc nodum Montacutii nostrè verbis solvere, vel saltem secare valeamus, quia ea solent secari, quæ solvi plane nequeant.* Deinde cum allegatam *Hieronimi* sententiam: *Omnes Judæorum ritus originem à gentium ruditate traxisse*, modeste carpens, hanc reddat rationem satis frigidam: *Nam ægre creditur, Circumcisionem, Sabbatum, festum Paschatos huic origini esse tribuenda*, opinionem suam satis prode videtur, quia id, quod ægre creditur, non prorsus sit incredibile & ab omni fide alienum, sed creditur aliquo modo, quanquam ægre. Præterea, quia Sabbatum, quod Gentilium ruditati tribuendum esse h. l. non vult, eum tamen in finem datum esse, expresse dicit, *l. 1. Sect. XI. C. 4. p. 63. seq. Ut Deus instituta sua seculi mori & ruditati (qua licuit) accommodaret: Ideo de circumcisione quoq; ipse alium, quam quem verbis exprimat, sensum habere censetur.*

## CAP. II.

### VERAM SENTENTIAM SISTENS ET PROBANS.

#### §. I.

**V**Oces in Titulo occurrentes erunt facillimæ, & quemadmodum putaverimus, à quovis lectore primo statim intuitu intelligentur. Hinc circa earundem onomatologiam hac vice prolixi non erimus, sed tempus spatiumque lucraturi, nos statim ad statum controversiæ accingemus.

§. 2. Quoad statum vero hunc controversiæ notamus, non quæri hic (1.) de *Idololatria & superstitione*, ex *Ægyptiaco* cultu ab *Hebræis* hausta, quam Deus nunquam approbavit, sed de *circumcidendi ritu*. (2.) Non de *circumcisione impropria, auris, oris & cordis*, nec quæ fit in *arboribus*, de qua vid. *Pirke R. Elieser*

B

C. 29.